

autem nihil fictum, nihil simulatum; et, quidquid in ea est, id est verum et voluntarium. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest: quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus, et ab eis ita amantur, ut facile eorum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quae est inter natos, et parentes: quae dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. Deinde, cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus; quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. Nihil est enim amabilius virtute; nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum, propter virtutem et probitatem, eos etiam, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui C. Fabricii, M. Curii non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet, quos numquam viderit? quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Hannibale: ab altero, propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus; alterum propter crudelitatem ejus, semper haec civitas oderit.

Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos numquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis, admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem quisque assequatur, quod desideret: humilem sane relinquunt,